



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

II. Tridentinum ad id obligat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

rim inerudito, & parum exercitato.
Fateor, multa desiderantur in Con-
cionatore, vires pares, animus pluri-
marum rerum, & virtutum capax,
pertinax studium, nocturnæ etiam vi-
gilia. Verum assume generosos ani-
mos, & te his exstimula: pastorum
princeps Christus hoc munus sibi
sumpsit, hoc Apostolis iniunxit, hoc
proprium Episcopi esse voluit. Itaque
Christi, Apostolorum, Episcoporum,
vices obis, dum agis partes Concio-
natoris. Quam verò nobile, ac divi-
num est hoc, ignaris lucem veritatis
affundere, animos ad virtutem infle-
ctere, à vitiis dehortari, homines eri-
pere ab Inferis, cælo inferere? atqui
fructus hi sunt Concionatoris.

NVM: II.

Concionandi Obligatio.

Multa grauitè, & enucleatè Pa-
tres Concilii Tridentini de hoc
suo munere Sess: de Reform: cap. 2,
præscri-

præscribunt, vt per te, vel alium idoneum, si impeditus fueris, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebem tibi commissam, pro tuâ, & eius capacitate, salutaribus verbis pascas, docendo necessaria ad salutem, demonstrando cum facilitate, & breuitate sermonis, vitia declinare, virtutes sectari, pœnam æternam euadere, cœlestem gloriam consequi. Si negligas, iubet Concilium, te per Episcopum censuris, aliisque pœnis compelli: Sess: 22. cap. 8. idem mandat. Sess. verò 23. cap. 1. de Ref. inter cætera significat, te diuino præcepto astringi, vt oues pascas verbi diuini prædicatione. Denique Sess: 24. cap. 7. præcipit Episcopis, vt curent à Parochis, inter diuinorum celebrationem singulis diebus festis, vel solemnibus, sacra Eloquia, & salutis monita explanari, populúmque in lege Domini, postpositis inutilibus quæstionibus, erudiri. Nihil aut vrgentius, aut explic-

plicatius, aut sanctius constitui potuit. Igitur ex mente Concilii intelligis te teneri, & quidem iure diuino, vt ad populum tu ipse, si possis; aut si impedire, per alium idoneum concionem habeas, Dominicis saltem diebus, ac festis, nisi per Episcopum etiam inflictis poenis vrgeri malis: habes præterea perscriptum, quibus de rebus ad populum habenda sit Concio, de necessariis ad salutem, de Virtutibus, de Vitiis, de Inferis, de Cælo, de sacris Eloquiis, de monitis salutis, de lege Domini: habes etiam modum, quo instruere debes; vt scilicet accommodatè tuæ, & tui gregis capacitati, vtq; sermo, postpositis inutilibus questionibus, breuis sit, & facilis. De loco nihil præscribit: conscendes suggestum, aut ex editiore gradu dices, prout mos, & res postulârit; in sacris enim nouitates cauendæ, quòd admirationem, & murmurationem pariant: decet autem, vt concioneris in veste sacrâ,

sacrâ,

286 *Institutionum Pastoralium*
sacrâ, & cum stolâ, nisi exhortatiu-
cula subinde potiùs futura esset, quàm
concio.

NVM: III.

Virtutes Ecclesiastica, seu sacri Con-
cionatoris,

Quæres ex me fortassis, ut qui
concionandi necdum sis, vel pe-
ritus, vel satis expertus, & ego instru-
ctorem me profitear, quid sentiam
sectandum, aut fugiendum sacro Con-
cionatori; aut quamam sit ars, vel me-
thodus sacræ Eloquentiæ: rem petis
sanè difficilem, & prolixam; obsequar
tamen tibi, sed succinctè, & paucis
pro meo instituto & modulo.

Virtus præcipua sacri Concionato-
ris exemplum bonæ vitæ; maximum
vitium, vita improba: hoc Timotheus
monebat Apostolus: *Attende tibi, &*
doctrinæ: vni verò minùs probo con-
cionatori pro turpi probro idem A-
postolus vertit, qui alium doces, te ipsum
non